



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De duplici Christi natura, qui nobis miseretur, & pro nobis interpellat, 16

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

ibi gloriosum me esse cognosco. Vbi sanguis meus dominatur, ibi dominari me sentio. Quamvis peccator sim, de hac communione gratiæ non diffido. Et si peccata mea me prohibent, substantia mea requirit. Et si delicta mea me excludunt, naturæ communio non repellit. Non enim tam immitis est Deus, ut obliviscatur hominis; & non meminerit ipsius quem ipse gestat, & quem mei causa suscepit: ejus, quem mei causa requirit.

5. Mitis vero & valde benignus est Dominus Deus noster; & diligit carnem suam, membra sua, & viscera sua. In ipso Deo & Domino nostro Iesu Christo dulcissimo, benignissimo atque clementissimo, in quo resurreximus, & jam cœlos ascendimus, & jam cœlestibus consedemus, caro nostra nos diligit. Habemus autem sanguinis nostri prærogativam in ipso. Sumus autem membra ejus & caro ejus. Ipse denique est caput nostrum, ex quo totum corpus, sicut scriptum est: Os ex ossibus meis, & caro de carne mea: & erunt duo in carne una. Et nemo unquam carnem suam odio habet, sed fovet & diligit eam. Mysterium hoc magnum est; ego dico in Christo, & in Ecclesia (ait Apostolus.)

CAPUT XVI.

*De duplici Christi natura, qui nobis misere-
tur, & pro nobis interpellat.*

1. **G**Ratias itaque ago labiis & corde, & omni qua valeo virtute, infinitæ misericordiæ tuæ, Domine Deus noster; pro
omni-

omnibus miserationibus tuis, quibus mirabiliter nobis perditis subvenire dignatus es; per eundem filium tuum salvatorem & recuperatorem nostrum, qui mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter justificationem nostram: & nunc vivens sine fine sedet ad dexteram tuam, & interpellat pro nobis: & simul tecum miseretur; quia Deus est ex te Patre, coæternus & consubstantialis tibi per omnia; unde potest in perpetuum nos salvare: sed secundum id, quod homo est, ex qua parte minor te est, data est ei omnis potestas in cœlo & in terra: ut in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium, & infernarum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est tua, Deus Pater omnipotens. Ipse quidem constitutus est à te iudex vivorum & mortuorum; tu vero non iudicas quemquam, sed omne iudicium tuum dedisti filio tuo: in cuius pectore reconditi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ.

2. Ipse autem testis & iudex est, iudex & testis, quem nulla peccatrix conscientia effugere poterit. Omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius. Ipse sane, qui iniuste iudicatus est, iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in iustitia. Benedico ergo nomen sanctum tuum in æternum, & glorifico ex toto corde meo, omnipotens & misericors Domine, pro illa inenarrabili & mirabili conjunctione divinitatis & humanitatis in unitate personæ; ut non alter Deus, alter

homo esset: sed unus idemque Deus & homo; homo & Deus. Sed licet mirabili dignatione, Verbum caro factum sit: neutra tamen ex duabus naturis, in aliam mutata est substantiam. Trinitatis mysterio, quarta non est addita persona. Vnita quippe est, non confusa verbi Dei hominisque substantia, ut in Deum, quod ex nobis susceptum fuerat, perveniret; & illud quod nunquam fuerat, idem quod semper fuerat, permaneret.

3. O admirabile mysterium! O inenarrabile commercium! O mira semperque miranda, semperque amanda divinæ propitiationis benignitas! Servi digni non fuimus, & ecce filii Dei facti sumus: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Vnde hoc nobis, & quis nos ad hoc perduxit? Sed rogo te, clementissime Pater Deus, per hanc inæstimabilem pietatem, bonitatem, & charitatem tuam; ut dignos nos facias multis & magnis promissionibus ejusdem filii tui Domini nostri Iesu Christi. Manda virtuti tuæ, & confirma hoc quod operatus es in nobis: perfice quod cœpisti; ut ad plenam tuæ pietatis gratiam mereamur pervenire. Fac nos per Spiritum sanctum intelligere, & mereri, & debito semper honore venerari hoc magnum pietatis mysterium, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, adsumptum est in gloria.